



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd neque demissus ab vxore; neque demissa à marito coniungantur.
lxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De illo qui ante baptismum mulierem virginem ac-
cepit. Cap. LXI.

Siquis habuerit uxorem virginem ante baptismum, viuet
te illa post baptismum alteram habere non potest. Cri-
mina in baptismo soluuntur, non coniugia. *Ex concil.
Meldesi,
cap. 2.*

De illis foeminis, quae nulla causa interueniente, reli-
querunt viros suos. Cap. LXII.

Item foeminae quae nulla praecedente causa reliquerunt
viros suos, & alteri se copulauerunt, & in hoc perma-
nere voluerint, nec in fine accipiant communionem. *Ex concil.
Elibertae,
cap. 7.*

De foemina quae adulterum reliquerit, & adulterum
accepit. Cap. LXIII.

Item foemina fidelis quae adulterum maritum reliquerit
fidelem, & adulterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si au-
tem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is
quem reliquit de seculo exierit, nisi forte necessitas infir-
mitatis dare compulerit. *Ex eodē
cap. 9.*

Quod neque dimissus ab uxore, neque dimissa à mari-
to, alteri coniungantur. Cap. LXIII.

Placuit vt secundum Euangelicam & Apostolicam di-
sciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à
marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet
reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam
redigantur. *Ex concil.
Africa-
no, ca. 63.*

De illo qui viuente marito coniugem illius adulterasse
se accusatur, & eam post eius obitum sumpsisse
dinoscitur. Cap. LXV.

Iqui viuente marito, coniugem illius adulterasse ac-
cusatur, & eo in proximo defuncto eandem sumpsisse
dinoscitur, omnimodis publice poenitentiae subigatur. De
quo etiam post poenitentiam praefata, si expedierit, serua-
bitur regula, nisi forte, id est, aut mulier virum qui mortuus
fuerat occidisse notetur, aut propinquitas vel alia quae li-
bet actio criminalis impediatur. Quod si probatum fuerit,
sine ulla spe coniugij cum poenitentia perpetuo maneant.
Si autem negauerit se eandem foeminam viuente viro nequa-
quam adulterasse, & praefati homicidij neuter eorum reus exi-
terit, & probatis testibus neuter eorum conuinci potuerit, pur-
gent legaliter famam suae opinionis, & sumpto vtantur
coniugio, si alia, vt diximus, non impederit ratio. *Ex concil.
Meldesi,
cap. 69.*